



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem  
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita  
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi  
Concionatoribus vsui esse poßit

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, M.DC.XVI.**

2. Quæ fuerint causæ Resurrectionis Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

fit in ea infirmum, & ipse sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam.

## SECTIO II.

## Quæ fuerint causæ resurrectionis Christi.

In hac questione breuiter discurrendum est per omnia causarum genera, in quibus aliquid explicandum occurrerit. Nam de materiali, & formali nihil est quod dicamus, cum iam positum sit, idē corpus, & maiori ratione eandem animam ad hanc resurrectionem conuenisse: dicendum ergo est de causâ finali, & efficiēte, vel morali, ut est meritoria vel physica principali, & instrumentali, seu ministeriali.

Primo igitur ad explicandam finalem causam adduci possunt rationes omnes, propter quas D. Thomas supra probauit, factam esse Christi resurrectionem. Nam omnes illæ, atque in vniuersum utilitates omnes, quas dicunt sancti prouenisse nobis ex resurrectione, finalem causam continent resurrectionis Christi, & omnes continentur sub illo verbo quo dicitur Christus propter nos homines resurrexisset, sicut & mortuus esse. Et huc spectat illud Pauli ad Rom. 4. Resurrexit propter iustificacionem nostram, & illud Gregorij Nazianzen. orat. 1. Resurrectio propter resurrectionem, id est, resurrectio Christi propter nostram resurrectionem. Sed ultra hoc addendum est, licet Christus propter nos resurrexerit: primo tamen, ac per se propter se, suamque gloriam resurrexisset. Itaque sicut in priori tomo dicebamus, verbum propter redemptionem nostram carnem assumpsisse, & nihilominus primo, ac per se voluisse incarnari propter excellentiam tanti mysterij, & ut sese perfectissimo modo creaturis communicaret: ad eundem modum nunc dicimus Christi resurrectionem ita fuisse à Deo ad nostrum commodum ordinatam ut tamen per se fuerit intenta propter ipsius Christi gloriam, & exaltationem. Primo quidem, quia erat debita Christo domino, propter maiestatem Verbi in illo corpore inhabitantis, propter quod dixit Petrus Act. 2. Impossibile fuisse Christum teneri ab inferno, seu à morte, ita exponens illud Psalmi, Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Non enim decebat, admirabilem sanctificationem illius corporis per coniunctionem ineffabilem ad ipsam sanctitatem per essentiam, ut vita, & coniunctione ad suam animam diu orbaretur. Vnde Ambrosij libro de Incarnat. Verbi Dei, & corporali eius aduentu, dicit. Eum qui Dominici corporis resurrectionem non credit, non satis intelligere vires Verbi, Sapientiaque Dei. Nam si verum est eum corpus assumpsisse, eaque, quæ corporis propria sunt, vindicasse, quid de corpore, quæso, statuere debuit, aut quo sine tandem illud consumere, cum semel in corpore viscera receptus esset? Ut enim non moreretur, fieri non poterat, quia pro omnibus erat in mortem offerendum: ut autem extinctum maneret, neg. id fieri debuit, eo quod vita sacrarium esset. Vnde reuincit per suam, quæ in ipso erat, vitam. Similiare petit inferius, ubi inter alia inquit. Quomodo Dominus ex toto vitam se esse demonstrasset, nisi id, quod mortale erat viuificasset? Et ser. 2. contra Arianos, in hunc modum exponit illud ad Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum. Refert enim particulam illam propter quod ad præcedentia verba. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, &c. Nam cum dixisset (inquit) humiliavit semetipsum usque ad mortem, statim subiungitur, Propter quod & Deus exaltauit illum; cupiens ostendere, quod & si sicut homo mortuus fuerit, attamen ut vita exaltatus sit resurrectione; & infra, Cur hic solus ex mortuis integer resurrexerit, causa ea est, quam & aulæ priori loco statuit: quod cum Deus esset, homo factus sit, qui de celo, & celestis appellatur, eo quod Verbum de celo descenderit; ideoque, sub imperio mortis deiterni non posuit. Nā et si humiliavit seipsum finis suum corpus usque ad mortem procedere: nihil-

Fr. Suarez, tom. 2.

A minus tamen illud è terris exaltauit, propterea quod in illo erat filius Dei.

Secundo hoc explicatur, quia ratione hypostaticæ vnionis, & ex gloria animæ, debita erat corpori Christi vita perpetua, ac gloriosa: quod autem aliquando fuerit mortale, factum est ex dispensatione propter nostram salutem: ergo consummata nostra salute per Christi mortem, eisdem rationibus debebatur illi corpori vita gloriosa per se, ac propter se, etiam si nobis non esset utilis, ac necessaria eius resurrectionis. Vnde merito dixit Atha. dicto libr. de Incarn. Verbi, resurrexisset Christum, ut ostenderet non ex imbecillitate mortuum esse: sed ad extinguendā mortem, quæ profligata, quid reliquum erat, nisi vi in trophæum deusitæ mortis excitaretur? Quocirca si hæc intrinseca causa resurrectionis Christi perpendatur, excitatus fuisset

Christus statim, ac redemptionem nostrā per mortem consummauit. Et ideo (ut infra videbimus) docet Patres dilationē resurrectionis omnino fuisse propter nos, ut de veritate mortis euidentius constaret hac vero causā & necessitate finita statim (ut ita dicā) ab intrinseco rediisse ad vitam multo magis, quam reducatur aqua ad pristinam frigiditatem impedimento ablato. Quomodo dixit Atha. epist. ad Epist. Corpus mortalis naturæ per Verbum, quod in ipso erat supra naturam resurrexit. Sicut ergo aqua ablatis impedimentis natura sua fit frigida, primo quidem propter ipsam quia hæc est naturalis dispositio, quæ eius forma requirit: deinde ut res alias frigidare possit. ita Christi corpus ablata mortis necessitate, quasi ab intrinseco ad vitam reuocatum est, & gloriam sibi conaturalem accipit. Primo quidem propter se, quia hic status erat illi debitus ratione vnionis, & secundum ordinem diuinæ prædestinationis per se primo intentus: deinde vero propter nostram utilitatem, ut supra explicatum est. Vnde etiam egregie addit Petrus Chrysol. ser. 78 & 81. resurrexisset Christum propter creaturarum omnium, seu totius vniuersi exaltationē ad nouā pacem, & tranquillitatem. Orbem (inquit) totum pristinum reformat in corpus, ut quem sibi taliter viderat esse compassum, suam secum suscitaret ad gloriam. Atque hæc de finali causâ.

Secundo de causâ meritoria certum est Christum dominum fuisse causam meritoriam suæ resurrectionis, ut docet D. Thom. ar. 4. ad 2. & latius diximus in priori tom. dis. 40. Sect. 3. Hic vero inquiri poterat, quando hoc meruerit. Quidam enim auli sunt dice- re: Christum hoc meruisse post mortem per descensum animæ ad inferos. Nā qui descendit ipse est, & qui ascendit, & descensu exaltationem meruit. Neque enim illud opus fuit minoris charitatis, & humilitatis, quā cætera, quæ in vita gessit. Sed hæc sententia coniecta est sine fundamento. Ostendimus enim in priori to. dis. 30. Sect. 3. tempus merendi in Christo domino, sicut & in alijs omnibus hominibus, fuisse finitū in morte. Tum etiam quia scriptura morti, & passioni Christi tribuit meritum resurrectionis. Quia licet per totam vitam illa meruerit: tamen in morte hoc meritū consummauit. Vnde Paul. ad Phil. 2. cum dixisset, Factus obediens usque ad mortem, subdidit, Propter quod, &c. non ergo post mortem, sed usque ad mortem hoc meruit. Quapropter Aug. tract. 204. in Ioan. Humilitas passionis, meritum (inquit) est resurrectionis. Oportebat quippe, ut ipsum corpus esset organum, ac instrumentum meriti suæ resurrectionis, & exaltationis. Alia de hac re adduximus prædicto loco, & supra in commen. ar. 1. Quædam vero difficultas hic occurrebat de vnione hypostatica totius humanitatis, quæ dissoluta humanitate, in morte fuit amissa, & consequenter in resurrectione reparata, propter quod videtur dixisse Petrus Chrysolog. ser. 80. Resurgens à mortuis Christus resumpsit hominem, non reliquit, de hac, inquam, vnione occurrebat difficultas, an habuerit etiam causam meritoriam. Sed eam sufficienter attigimus priori to. dis. 10. Sect. 4.

Sf 2

Terz

Resurrectio  
Christi ratione vnio-  
nis hypostati-  
cæ quomodo  
debita.  
Athanasij.

Athanasij.

Petr. Chrys.

Christus re-  
surrectionem  
suam quan-  
do meruit.  
Ephes. 4.

Philipp. 2.

August.

Finis resurre-  
ctionis Christi  
qui.

Rom. 4.  
Gregor.  
Nazianzen.

A. A. 2.  
Psalm. 131.  
Resurrectio  
Christi glori-  
a & exalta-  
tionem ordi-  
nata.

Ambros.

Philipp. 2.

Tertio: de causa efficiente principali satis constat ex supradictis, solum Deum potuisse esse causam resurrectionis Christi. Nam quoad hoc eadem est ratio de Christo, & de aliorum hominum resurrectione. Vnde Act. 2. dicitur. *Quem Deus suscitauit à mortuis*, & ad Rom. 8. *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis uiuificabit & mortalia corpora vestra*. Quia vero Christus ipse Deus est, verè etiam dicitur, eundem Christum fuisse causam principalem suæ resurrectionis, non ut hominem, sed ut Deum. Quia, si & crucifixus est ex infirmitate, uiuit ex uirtute Dei. 1. ad Cor. vlti. Et hoc modo intelligendum est, cum dicitur propria uirtute resurrexisse, iuxta illud Ioann. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam*, ut iterum sumam eam. Et eodem modo dixit Leo Papa ser. 1. de resurrectione, quæ ab uirgine substantia non recessit, quod potestate coniunxit. Sic denique dixit Athanasius loco citato, corpus Christi surrexisse per uerbum, quod in ipso erat. neque hic occurrit noua difficultas, supposito, quod supra ostensum est, diuinitatem non fuisse separatam à corpore & anima tempore mortis.

Quarto: de causa instrumentali physica solum inquiri potest, de ipsiusmet partibus humanitatis Christi, an effectiue concurrerint ad resurrectionem. Nam de omni alia creatura certum est non concurrisse, ut à fortiori constabit ex ijs, quæ dicemus in ultimo puncto. De humanitate uero Christi, quæ est quædam integra natura, certum est non potuisse efficere resurrectionem, quia non supponebatur resurrectioni, sed ex illa potius consurgebat. De anima igitur & corpore dicendum est. Et in primis distinguere oportet duplicem actionem in resurrectione interuenientem. Prior est corporis organizatio, & dispositio: posterior substantialis coniunctio animæ ad corpus. De priori probabilius uidetur, animam, Christi, ut instrumentum Verbi effectiue disposuisse corpus suum, illudque aptasse, ut ei uniretur. Quia ex unione ad Verbum habebat illa anima potestatem permanentem, & per modum habitus ad efficiendam huiusmodi miracula, ut in prioribus tractatibus est. Ergo credendum est usum fuisse hac potestate in ordine ad suam resurrectionem, ut ueluti condignum præmium redderet suo corpori tanquam socio suarum passionum, & instrumento meritorum, deinde quia Christus suo imperio disponebat alia hominum corpora, quæ excitauit à mortuis, & in fine mundi concurret hoc modo ad efficiendam nostram resurrectionem. Ergo multo magis credendum est effectiue suam. An uero corpus etiam Christi, ut instrumentum Verbi habuerit concursum physicum ad huiusmodi actionem, incertum est. Non enim fuit impossibile illud corpus seipsum effectiue disponere, & organizare, uel per unam partem efficiendo in aliam, uel per eandem partes efficiendo in seipsas. Quia cum non agant uirtute naturali, sed obedientiali, non supponuntur habere formam, quæ efficiunt, nec formaliter, nec eminenter: & ideo non repugnat, hoc modo fecisse in se formam, & dispositionem quam actu non habebant. At uero licet hoc sit possibile, non uidetur tam necessarium. Quia, cum corpus sit proprium subiectum huius actionis, & causa materialis eius, & aliunde anima potuerit esse sufficiens principium efficiens illius actionis in genere instrumenti: non uidetur necessarium tribuere efficientiam corpori: imo conuenientior ratio causandi uidetur, ut unicuique propria causalitas fuerit attributa actui, & potentie accommodata.

De posteriori actione, scilicet unione substantiali corporis & anime iuxta diuersas sententias diuersimode sentiendum est. Nam si cum Henrico, & alijs sentiamus factam corporis organizationem, non requiri nouam actionem extrinseci agentis, ut anima corpori uniat, consequenter dicendum est, non fuisse necessariam nouam instrumentariam actionem corporis, aut animæ Christi, ut inter se uniretur: sed factam miraculose organizationem corporis, applicatam illi anima secundum realem presentiam, quæ per mutationem localem

fieri potuit, statim naturali quadam uinitate fuisse. Quæ opinio probabilis est, ut supra diximus. Si autem cum communi sententia asseramus, præter corporis organizationem requiri, ut Deus speciali efficientia, & actione uniat animam corpori, dici consequenter ac probabiliter potest, tam corpus, quam animam fuisse instrumentum ad huiusmodi actionem efficiendam. Quo sensu potest intelligi, quod D. Th. infra dicit artic. 4. ad 3. corpus scilicet, & animam se mutuo resumpsisse uirtute diuina. Nam licet ipse non satis explicet, an loquatur de actione instrumentali animæ, & corporis, uel de principali actione diuinitatis uniatæ animæ, & corpori: tamen de utraque potest commode intelligi. Præsertim cum ipse sentiat, requiri ad hanc unionem specialem actionem, & efficientiam. Nam hoc posito nulla est ratio, ob quam negemus hanc instrumentalem effectiorem, cum ratione unionis debita sit: cumque alia rationes in superiori membro factæ, hic etiam locum habeant. Quod uero huiusmodi effectiorem tribuamus non solum animæ, sed etiam corpori, est hic specialis ratio. Quia unio mutua est corporis & animæ, & tam in anima quam in corpore dicit specialem quendam modum, ergo fuit inter has partes mutua efficientia, quæ altera ueluti ad se traxit, sibique coniunxit alteram, & contra. Neque circa hoc est ulla specialis difficultas, præter eas, quæ alibi dictæ sunt de hac potentia miraculorum effectrice.

Quinto, de causa ministeriali inquiri hic potest. Verum Angeli aliquod ministerium exhibuerint ad præparandam materiam resurrectioni Christi. Quam dubitationem tractant Theologi in 4. disputat. 43. & 44. generatim de omnium resurrectione: in speciali uero de resurrectione Christi nullum uerbum attingunt. In generali tamen definiunt ex doctrina Augustini. 3. de Trinitate. cap. 4. in communi resurrectione Angelos aliquid esse ministraturos, colligendo cineses dispersos, & congregando illos in locum resurrectioni accommodatum. Ex hac autem generali doctrina uidetur idem esse docendum de Christi resurrectione. Primo, quia est eadem necessitas. Nam etiam aliqua partes materie reassumendæ in corpore Christi erant dispersæ, oportebatque, ut in sepulchro congregarentur, scilicet sanguis effusus, capilli capitis, aut barbæ, & si fortasse aliqua carnis, & cutis particula flagellis, aut alijs cruciatibus diuulsa fuerant, & si quæ alia partes materie ante separatæ, uel resolutæ à corpore Christi iterum erant reassumendæ, deinde est eadem ratio. Nam Deus administrat inferiora per media, iuxta Augustinum 3. de Trinitate. cap. 4. Vnde quod fieri commodè potest per ministros Angelos, non oportet fieri à Deo immediate, & per seipsum. Hæc autem actio, cum per solum localem motum fiat, aptissime fieri potuit per Angelos. Præterea nostra resurrectio est ad imitationem resurrectionis Christi, ergo sicut in nostra interuenit hoc ministerium Angelorum, ita uerisimile est fuisse exhibitum in resurrectione Christi nihil enim derogat perfectioni, & excellentiæ illius resurrectionis. Nam si hominum ministerio factum est, ut corpus Christi deponeretur de cruce, & collocaretur in sepulchro: cur non fuit etiam decentissimum, ut sanguis, capilli, ac reliqua ministerio Angelorum in eodem sepulchro reponeretur? Etenim si homines potuissent, omnia illa colligerent, & custodirent: quod ergo ipsi uel facere non potuerunt, uel non cogitarunt, conuenienter per Angelos effectum fuit. Sicut etiam in partu Virginis præfati sunt Caietanus & alij, ministerio Angelorum puerum fuisse susceptum, & in manibus Virginis repositum. Quin etiam addit Caietanus fuisse ab Angelis mundatum, & secundinas, & alias sordes eorundem ministerio fuisse separatas, alioque traductas, ergo maiori ratione dici potest, ante resurrectionem adhibuisse hoc ministerium. Et iuxta hanc sententiam loquuntur aliqui

Propria uirtute à mortuis Christus resurgit. Act. 2. Roma. 8. 1. Cor. 16.

Ioan. 10.

Leo Papa.

Athanasius.

Anima Christi ut instrumentum Verbi iuxta corpus effectiue disposuit, & organizauit ad sui resurrectionem.

Henricus. Unio substantialis inter corpus & animam Christi in resurrectione instrumentali effectrice.

Dubium.

Augustinus.

Augustinus.

Caietanus.

aliqui in concionibus de Christi resurrectione, & A nihil in ea est periculi, vel absurdi, vt coniecturæ ad- ductæ ostendunt.

Dicendum tamen est in mysterio resurrectionis Christi nullam, operam nullamque efficaciam An- gelos adhibuisse: sed totum negotium resurrectio- nis peractum esse per efficientiam ipsius Christi, præsertim mediante anima. Hoc potest in primis probari auctoritate negativa omnium veterum Pa- trum, ac Scholasticorum. Omnes enim asserunt Christum virtute propria operatū esse resurrectio- nem suam, & nullus eorum mentionem fecit angeli ministerij: si autem illud agnouissent, non omni- no illud tacuissent, sicut fecerunt, de resurrectione aliorum hominum disputantes. Deinde potest sumi argumentum à simili ex D. Th. in 4. dist. 8. q. 2. a. 3. ad 3. ubi agens de Christi conceptione dicit, non fuisse conueniens, vt illi creatura aliqua cooperetur pro- pter dignitatem Christi seruandam. Quod clarius explicuit Alex. Alenf. 4. p. q. 134. memb. 1. ar. 2. in solu- tionibus argumentorum, qui expresse loquuntur de hac ministeriali cooperatione, & querit, an potue- rit virtus creata cooperari hoc modo in concep- tione Christi, & respondet potuisse. Sicut virtus (inquit)

D. Thom.

Alenf.

Ministerij angelorum in Christi resurrectione perferenda nullum.

angelica cooperabitur resurrectioni corporum in generali resurrectione: non tamen decessit propter nimiam sublimita- tem carnis, quia illa caro viuenda fuit diuinitati. Vnde quod non sit ibi cooperata virtus creata magis congruitatis fuit, quam necessitatis. Hæc vero congruitas eadem, vel maior est in resurrectione. Nam eadem est sublimi- tas illius carnis quæ non iam viuenda sed vnica erat diuinitati. Tertio est optima congruentia, quia vbi est sufficiens, decens, ac proportionatum principi- um proximum alicuius actionis, superfluum esset adhibere extrinsecū ministeriū angelorum: sed ita est in presenti. Nam animæ Christi Domini erat suf- ficiens principium sicut ad disponendum corpus, ita etiā & ad colligendas partes, quæ dispersæ erant & addendum, si quid materia fortasse deerat. Quia virtus instrumentalis illius animæ has omnes acti- ones, ac multo plures complectebatur. Rursus erat illa anima maximè decens, & proportionatū actio- nis huiusce principium: tum quia habebat curam il- lius corporis tanquam proprii: tum etiam quia erat velut diuinus motor, sicut corpus illud erat diui- num quoddam mobile propter vnionem ad Ver- bum. Quarto est alia coniectura, quia sanguis, capilli, & si quid aliud colligendum fuit ad Christi resur- rectionem id totum debuit collocari intra sepulch- rum, & coniungi corpori, quoad fieri potuit, vel ex- pediens fuit: hoc autem fieri non potuit virtute an- gelica, nisi vel remouendo lapidem ab ostio sepul- chri, vel aliqua ex parte illud diuidendo: neutrum autem horum est asserendum. Vsq̃ue ad resurrectio- nem enim Christi omnino clausum permanfit sepulchrum, vt infra videbimus: non potuerunt ergo illa omnia intra sepulchrum reponi nisi transeunda ab extremo ad extremum sine medio: vel penetrando corpora intermedia, neutrum autem horum fieri potuit naturali virtute angelorum, ergo hoc mi- nisterium non erat ex his, quæ ad angelos pertinent iuxta ordinariū cursum prouidentie diuinæ. Di- cere autem eis datam esse supernaturalem vim in- strumentalem ad efficiendā illam mutationem su- pernaturali ac miraculoso modo gratis & sine fun- damento fingeretur. Quia nec illa virtus est debita angelis, nec pertinet ad ordinariū prouidentie modum, & alioqui non esse necessaria, quia animæ Christi est connaturalis hæc virtus ratione vnio- nis. Denique maximè decebat, vt solus Christus suæ esset resurrectionis autor, ne alterius ope ad suum corpus excitandum indiguisse videretur. Con- iecturæ vero in contrariū faciles sunt & ex ijs, quæ diximus ex- pedire.

Fr. Suarez. tom. 2.

ARTICVLVS II.

Virum fuerit conueniens Christum tertia die re- surgere.



D secundum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conueniens Christum tertia die resur- gere. Membra enim debent capiti conformari. Sed nos qui sumus membra Christi non resur- ginus à morte tertia die, sed nostra resurrectio differtur vsque ad finem mundi. Ergo videtur, quod Chri- stus, quia est caput nostrum, non debuerit tertia die resurgere: sed debuisset eius resurrectio differri vsque ad finem mundi.

2. Præterea. Actorum. 2. dicit Petrus, quod impossibile e- rat Christum detineri ab inferno & morte. Sed quamdiu aliquis est mortuus, detinetur à morte. Ergo videtur, quod Christi resurrectio non debuerit differri vsque ad tertiā diem, sed statim eadem die resurgere præcipue cum glossa supra in- ducta dicat, nullam esse vtilitatem in effusione sanguinis Christi, si non statim resurgeret.

3. Præterea, Dies incipere videtur ab ortu solis, qui sua presentia diem causat. Sed ante ortum solis Christus resur- rexit: dicitur enim Ioan. 20. Quod vna Sabbathi Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent ad monu- mentum, & tamen Christus iam resurrexerat, quia sequi- tur. Et vidit lapidem sublatum à monumento. Non ergo resurrexit Christus tertia die.

Sed contra est, quod dicitur Mat. 20. Tradent eum Gen- tibus ab illudendum, & flagellandum, & crucifigendum & tertia die resurget.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) resurrectio Christi necessaria fuit ad instructionem fidei nostræ. Est autem fides nostra, & de diuinitate, & humanitate Christi: non enim sufficit alterum sine altero credere, vt ex predictis patet. Et ideo ad hoc, quod confirmaretur fides de veritate diuinitatis ipsius, oportuit, quod cito resurgeret, & eius resurrectio non differretur vsque ad finem mundi. Ad hoc autem quod confirmaretur fides de veritate humanitatis & mortis eius, oportuit moram esse inter mortem, & resur- rectionem, si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quod eius mors vera non fuerit, & per consequens nec resurrectio vera. Ad Veritatem autem mortis Christi maxi- f. standam, sufficiebat, quod vsque ad tertiā diem eius re- surrectio differretur: quia non contingit, quin infra hoc tem- pus, in homine, qui mortuus videtur, cum viuas, appareant aliqua indicia vitæ. Per hoc etiam quod tertia die resurrexit commendatur perfectio ternarij: qui est numerus omnium rei, vtpote habens principium, medium & finem: vt dicitur in primo de Cælo. Ostenditur etiam secundum mysterium quod Christus vna sua morte corporali, quæ fuit lux propter iustitiam duas nostras mortes destruxit, scilicet corporis, & ani- mæ: quæ sunt tenebræ propter peccatum. Et ideo die in- t. 4. c. 5. tegra, & duabus noctibus permanfit in morte, vt Augustinus dicit in quarto de Trinitate. Per hoc etiam significatur, quod per resurrectionem Christi, tertium tempus incipiebat, nam primum fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gra- tia. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status San- ctorum. Nam primus fuit sub figuris legis: secundus sub veri- tate fidei: tertius erit in æternitate gloriæ, quam Christus in- choauit resurgendo.

Ad primum ergo dicendum, quod caput & membra conformantur in natura, sed non in virtute. Excellentior est enim virtus capitis, quam membrorum. Et ideo ad de- monstrandam excellentiam virtutis Christi, conueniens fuit

85 3

fuit